



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.  
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi  
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

**Rodrigues, Manuel**

**Lvgdvni, 1621**

Consuetudo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41743**

CONSVETVDO. 99

sub illorum obedientia *art. 17.*

Dicti conseruatores possunt procedere sine strepitu, & figura iudicij, quemadmodum faciunt Religiosi in suis iudiciis. *art. 18.*

Conseruatores suam excedentes potestatem scienter, eo ipso per annum ab officio sunt suspensi, & lege regali priuantur naturalitate. *ar. 19.*

CONSVETVDO.

Consuetudo, est ius quoddam non scriptum, moribus, id est, assiduis actibus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. *10m. 2. qu. 66. art. 1.*

Vt consuetudo iusta censeatur, necesse est primò, vt sit rationabilis, qualis esse nequit contra ius diuinum, & naturale; bene autem contra legem humanam, quam potest tollere etiam tunc, cum non constat clarè de consuetudinis iniustitia: præsumitur enim tunc quòd sit rationabilis; secus, si euidenter fuerit mala. *ibid.*

Vt consuetudo iusta censeatur, requiritur secundò, quòd sit legitimè introducta, & præscripta. Ad quod



100 CONSVETVDO.

necesse est primo, vt actus, per quos iutroducta fuit consuetudo, eo animo fiant, ac si lege præcipiente fierent. Secundo, vt consuetudo actibus continuatis sit frequerata. *ibidem.*

Quot actus sint necessarij, inter Doctores controuersum est. *Panormitanus* vult, quòd si actus vnus habet causam successiuam & continuationem temporis habilis ad consuetudinem inducendam sufficit, & consuetudo inducitur; vt si beneficium sæculare confertur regulari, & ab eo possidetur spatio 40. annorum, efficitur regulare, licet sit vnus ratione rei actæ, quæ est vna, virtualiter tamen est multiplex propter temporis diturnitatem, in qua possent esse multiplices. Alij duos actus volunt sufficere; at *Rodericus* ad hoc determinandum putat, ad arbitrium boni viri recurrendum esse. *ibid.*

Tertiò, vt consuetudo sit legitime iutroducta, & præscripta, necessarium est, vt tali consuetudine certo temporis spatio vtatur, ad hoc verò spatium quidam decem annos



CONSUETVDO. IOHANNES  
annos satis putant alij quadraginta  
exigunt. *ibidem.*

Quartò, necessarium est, vt per-  
sonæ actus consuetudinem introdu-  
centes habeant authoritatem; vnde  
pueri, mulieres, furiosi, non com-  
putentur. *ibid.*

Nulla consuetudo potest Reli-  
giosos eximere ab essentialibus  
Regulæ præceptis, vt paupertatis,  
castitatis, & obedientiæ, quia non  
potest esse rationalis, cum ius di-  
uinum concernant. *art. 2.*

Observationes accidentarias non  
tantum potest mitigare, sed etiam  
omnino abolere cum consensu sal-  
tem tacito, & interpretatiuo pro-  
prij Superioris. Superior autem in  
huiusmodi non est Prouincialis,  
aut Generalis, cum ipsemet sint re-  
gulæ subiecti; sed Papa aut Prote-  
ctor Ordinis. *ibid.*

Taciti, & interpretatiui consen-  
sus superioris vix potest haberi  
moralis certitudo, cum Summus  
Pontifex relaxationum notitiam  
non habeat; videant tamen Fratres,  
& similiter attendant an per 40.  
annos talis mos per aliquod statu,



202 C O N V E N I R I.

tum generale, aut prouinciale, non fuerit interruptus, quod si fuerit factum, corruptela est; non consuetudo. *ibid.*

C O N V E N I R I.

Vide *Debita, Clastrum, Exemptio, Monasterium, Procurator.*

**R**egularis degens extra claustrum pro crimine, potest conueniri coram Episcopo, non autem degens inter claustra, nisi deliquerit extra claustra notorie cum populi scandalo, a suis Superioribus non puniatur, monitis tamen ab Episcopo ut id faciant. *Ex Concil. Trid. tom. 2. quest. 2. art. 8.*

Non dicuntur degere extra claustra qui causa predicationis, confessionis, vel alicuius rei ad tempus; non permanenter, extra Monasterium morantur, sed qui habent extra illud domicilium speciali licentia seu priuilegio, quales non sunt qui secundum regularia instituta, inseruiunt beneficio, vel adiiciuntur alicui Monialium Monasterio. *ibid.*

Abbas conueniendus est coram Ordinario, cum non possit coram suis